

Illustrissimi autem Zinzendorffii Comites à ducentis prope annis titulum hæreditarii per Austriam Venationum Præfecti gesserunt, quem à Dominis de Toppel Austriæ Regulis impetrasse, accepi. Christophorus Zinzendorffius, testante Archivo Statuum Austriæ jam Anno 1528. hanc dignitatem gessit. (i) Nunquam tamen Eos munus istud in feudum ab Archiducibus recognovisse, ideoque in Curia Feudali Austriaca nulla ea de re reperiri documenta, notum est.

AUSTRIA SUPERIOR hoc Officio caret.

In STYRIA Tanhusii Barones (von Tanhausen) Hæreditariam Venationum Præfecturam, & inter illos Conradus cum omnibus regalibus Anno 1580. in Feudum Masculinum accepit. (k) Eum Johannes Antonius Comes de Tanhausen Anno 1648. excepit. (l) Maria Barbara Tanhusia autem nomine Filii impuberis Anno 1660. investituram requisivit. (m) Extinctis Tanhusiis Splendidissimæ Principum & Comitum Dietrichsteiniorum genti munus hoc obvenit, ex qua Johannes Christophorus Comes de Dietrichstein novissimè An. 1690. investitus est. (n)

CARINTHIA in hoc munere Wolffgangum Sigismundum Comitem Paradeiser Anno 1651. Officialem accepit, qui Wolffgangum Reimundum An. 1654. successorem habuit. (o)

CARNIOLÆ ET VINIDORUM MARCHIÆ Venationum Magister hæreditario jure factus est Georgius Kisl, Baro de Kaltenbrunn Vice-Dominus Carniolæ Anno 1592. (p) Ante ipsum Domini de Altenburg An. 1332. hujus muneris participes fuere. (q) Emortuis autem Kiseliis Baronibus, Comites de Gallenberg Anno 1691. successerunt. (r)

In TYROLI Comitatu Carolus Schurff Baro cum suis posteris hæreditarius Venationum Præfectus renunciatus est Anno 1578. (s) Ex quo autem hæc Familia ad plures abiit, munus hoc vacans alios Officiales jam desiderat.

GORITIENSI terræ Comites de Strafaldo in Venationum Magisterio à Divo Leopoldo Gloriosissimæ recordationis Imperatore præpositi fuerunt.

(a) Vol. 1. Ex. 7. th. 23. Lit. O. (b) Lib. 3. Cap. 8. (c) MSC. Austriac. (d) Pag. 185. (e) De Official. Imperii pag. 221. (f) Vid. supr. pag. 264. (g) Valvasor in Chron. Carniol. (h) Part. III. Germ. pag. 61. (i) N. 3666. (k) Archiv. Feudal. Græzens. (l) Ibi. (m) Ibi. (n) Ibi. (o) Ibi. (p) Valvas. l. c. L. IX. p. 11. (q) Ibi. (r) Archiv. Græzens. (s) Brandis loc. citat. pag. 121.